

Nf. 24.



1106
PROGRAMMA SACRUM,

QUO

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ

PRO-RECTOR,

D. MICHAEL ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BOR. AULICUS ET CONSIST.

MAGDEB. CONSILIARIUS, MED. ET PHIL. NAT.

PROFESSOR PUBL. ORDIN. CET.

UNA CUM

CANCELLARIO, DIRECTORE,
SENIORE

ET PROFESSORIBUS RELIQUIS,

CIVIBUS ACADEMICIS

e loco Michæ c. V, 1. 2.

PIAM NATIVITATIS CHRISTI

MEDITATIONEM

COMMENDAT.

df.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

IMPENSIS IO. CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

PROGRAMMA SACRUM
 QUO
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE
 PRO-RECTOR
 D. MICHAEL ALBERTI
 SACR. MAJ. REG. BOR. AULICUS ET CONSIST.
 MAGDER. CONSILIARIUS, MED. ET PHIL. NAT.
 PROFESSOR PUBL. ORDIN. CAT.
 CUM
 CANCELLARIO, DIRECTORE,
 SENIORE
 ET PROFESSORIBUS RELIGIOSIS,
 CIVIBUS ACADEMICIS
 IN OCCASIONE
 BIVM NATIVITATIS CHRISTI
 MEDITATIONEM
 COMENDATA.





Humano generi, a lapsu suo per redemptionem erigendo, promissum esse Salvatorem, modo, plane miraculoso e matre virgine nasciturum, re ipsa iam promulgatum fuit in illustri protevangelio Gen. III, 15. sub emphatica locutione de *femine mulieris*. Et illa ipsa etiam a sagacioribus, inprimis revelatione, quæ Patriarchis sæpe concessa est, accedente, procul dubio secundum istam suam emphasim fuit intellecta. Vt vero hæc ipsa universæ ecclesiæ Judaicæ eo innotesceret evidentius, per Jesaiam clarissimis verbis: *Ecce virgo gravida erit & paritura est filium*, declaratus est exortus ille *Messie* plane supra communem nascendi sortem ita evehendus, quemadmodum eum evectum esse, eventus, sigillum promissionis certissimum, quam liquidissime comprobavit. Et cum primum istud oraculum, protoplastis in paradiso editum, per varios, eosque illustriores, declarationis gradus, in luce subinde clariore poneretur, luculentus sane is erat, quo civitas *Bethlehem*, Jessæ, seu Davidicæ stirpis patria, salutiferæ nativitati ejus designabatur, nimirum per vatem divinum, *Micham*, quo interprete c. V, 1. Deus Pater de Filio: *Et tu, inquit, Bethlehem Ephrata, parum est te esse in ducibus Jude, nam ex te mihi erit* (exiturus ille & dudum promissus dux) *ut sit dominator in Israel: & egressiones ejus sunt ab eterno ante tempora seculi.*

Locum hunc de Messia agere, ipsam ecclesiam Judaicam testem habemus locupletissimam, cum in paraphraste Chaldæo, cuius summa apud ipsam est auctoritas, tum in integro synedrii Hierosolymitani collegio: vtpote quod ab Herode convocatum, & de nativitate Messie loco interrogatum, sine ulla hæsitacione, allegato hoc Michæ vaticinio, *Bethlehemam* designabat, narrante Matthæo cap. II, 1. sequi. Immo ad hoc Messianæ fidei momentum innotuerat omnibus, vt nec plebi rudiori istud esset ignotum; quemadmodum liquet ex eius confessione, a Johanne cap. VII, 42. his relata verbis: *Nonne scriptura dicit, e semine Davidis, & e vico, ubi David erat, venturum esse Christum?* Cui promissioni ut ipso eventu sua constaret fides, singularis sane Dei providentia intercessit. Cum enim residua familiæ pars Bethlehem Nazaretum

retum in Galilæam commigrasset, Deus, cuius regno etiam imperia hujus mundi famulantur, censu imperatoris Augusti promulgato quam sapientissime ita est usus, ut eventus promissionis veritatem daret comprobata. Id quod cum, pro præscientia sua infinita, futurum esse prævideret Deus; per Micham prædixit, ut complementum cum promissione suo tempore, in fidei confirmationem, conferri posset. Et cum Evangelista, quæ acta dictaque erant, majore senatus Hierosolymitani parte adhuc superstite, in publicum utriusque ecclesiæ, Judaicæ, & quæ inde exsurgebat, Christianæ usum, litterarum monumentis consignaret, hoc præconio suo scripto istorum veritatem historicam extra dubium posuit, quam certissimus, ne acerrimis quidem rerum Christianarum hostibus ullum contradicendi locum esse relictum; utpote rerum omnium, cum innumera testium vivorum multitudine, quam certissime consciis.

Cum vero oraculum propheta a legis peritis prolatum sit ipsis ejusdem, ut probabile omnino est, verbis, si postrema de egressionibus ab æterno, quæ ad propositam quæstionem non pertinebant, exceperimus; Evangelii præco istud cum ea allegat interpretatione, quæ sensui genuino adeo non obstat, ut eandem potius diversis momentis declaret; quemadmodum scriptoribus Θεοπνεύτοις in more positum est. Consideremus hujus declarationis particulas:

1. Cum propheta *Berlethemam* vocasset Ephratam, antiquo *Ephrata* nomini recentiore Berlehem adjecto Gen. XXX, 7. XLVIII, 7. evangelista eam vocat *urbem Judææ*, eam sic ab urbe ejusdem nominis in tribu Sebulon distinguens, Jos. XIX, 15.

2. Micha dixerat, Bethlehema hanc dignitatem eximiam, quod civitatibus Judææ, quæ millenarium civium numerum sub duce suo producere possent, annumeretur, *exiguam esse*, si cum dignitate ea, quam ipsi Messia natus allatura esset, conferretur. Quem sensum evangelista expressurus, *negat, eam esse minimam*, utpote ex ortu Messia illusterrimo multo magis nobilitatam.

3. Quod propheta dixerat de *chiliadibus*, evangelista interpretatur de *chiliaribus*, chiliadum ductoribus.

4. Propheta omiserat particulam *αιτιολογην* de dignitate præstantiore in Messia exortu posita, e sensu facile in mente supplendam. Istam vero, cum momenti non exigui esset, ut eo attentius consideretur, evangelista exprimit: *Ex te enim*, inquit *κ. τ. λ.*

5. Cum propheta Messiam vocasset *dominatorem Israelis*, evangelista ipsum *ηγμενvs, ducis*, nomine insignit, ducalis hujus officii declaratio-

ratione ea adjecta, quæ muneris pastoralis notionem habet: *qui, in-*
quiens, pascet populum meum Israel, iis, quæ propheta de æterna
egressione adjunxit, ideo prætermisiss, quia ad præsentem quæstio-
nem de ortu Bethlehemitico non pertinebant.

Ad *egressionem* hanc quod attinet, eam merito intelligimus de
nativitate Filii a Patre æterna, generationem Patris æternam suppo-
nente. Utraque quomodo se habeat, tam abstrusum est mysterium,
ut intellectus nostri aciem, etsi revelationis lumine subvectam, quam
longissime transcendat. Acquiescendum itaque est in evidentia testi-
monii, cum ipsius rei evidentia negata nobis sit; testimonii, quod ha-
bemus in clarissimis codicis sacri adsertis, Messiam esse Filium Dei
unigenitum ac proprium, atque ita etiam proprie dictum, et quidem
talem per æternam a patre generationem. Pl. II, 7. Ioh. I, 14. Col. I, 15. &c.
cui æterna respondet nativitas. Quæ etsi est *ἀνεξέσπευτος*, adumbrari tamen
percommode potest sub imagine *æterni splendoris*, qui ab æterna luce,
seu sole, Deo, exit. Et hoc ipsum est, quod Paulus meditationi no-
stræ insinuat, quando ad Hebr. c. I, 3. Filium vocat *ἀπαύρασμα*, *ex-*
splendescentem radium gloriæ Patris, κ. τ. λ. Qua similitudine
admissa simul intelligimus, qua sensus emphasi nativitas Filii Dei
æterna in fonte Hebræo nomine numeri pluralis *אֱלֹהִים*, *egres-*
sonum, insigniatur. Etenim, præter hujus mysterii sublimitatem
hac notatione procul dubio respicitur ad generationis & nativitatis *con-*
tinuationem eam, quæ ab humana est diversissima, nobis etiam in natu-
ra solis aliquo modo representata. Novimus enim, radios ejus non
ita emitti, ut emissionis actus sit solitarius & transiens, sed eum esse con-
tinuum, nunquam interrupta emissionis continuatione. Id quod ne
quis existimet esse *παράδοξον*, si de Deo dicatur, & in scholis Theologo-
rum peregrinum, ecce locum e celeberrimi nominis Theologo no-
strate, B. D. J. ANDR. QYENSTEDTIO, qui in Systemate Theologico P. I.
p. 385. generationem Filii Dei per emanationem, quæ fit per modum
actus immanentis, illustraturus, hac ipsa utitur similitudine: *Sic lux, in-*
quiens, & radii solares a sole emanant & generantur, etiamsi revera sint.
Et paulo ante: *Distingue inter generationem temporalem, quæ est motus,*
& aliquando incipit, aliquando desinit, & sic cum mutatione est coniuncta
& imperfectione, & generationem æternam, quæ nunquam desinit, &
tamen simul ac est, æterna est, (sicut lux perpetuo emanat e sole, et ta-
men perfecta est, simul ac emanat) quæque omnem mutationem, succes-
sionem ac dependentiam excludit. Hinc AUGUSTINVS Epist. 146. ad Pascen-
tium: Semper gignit Pater. semper gignitur Filius. Nam quicquid æter-

num est, in eo nihil est præteritum, nihil futurum. Generatio divina est æterna, ergo in ea nihil præteritum, nihil futurum.

Notum quidem est, interpretes circa sensum ultimarum vocum de egressione in diuersa abire; sed præcipue tamen eos tantum, qui Filii Dei divinitatem negant; unde, hac negata, simul abnegatur æterna ejus generatio & nativitas. Cum vero ista veritatis sit liquidissimæ, ea posita simul asseritur hæc, nec potest alius esse egressionum sensus. Et hac ratione simul constat de genuino sensu vocum **מקום מימי עולם**, scilicet **מ** habere notionem particulæ *ante*: in qua locutionem **מקום** de Deo adhiberi, inter alia e Pf. LXXIV, 12. et Habac. I, 12 liquet, ubi LXX interpretes istud reddunt per *πρὸ αἰῶνος, ἀπ' ἀρχῆς*. Observandæ hic etiam sunt in sermonibus Christi Johanneis ejus locutiones, in quibus verbis de adventu suo in hunc mundum *egressum* suum præmittit. c. XIII, 3. c. XVI, 27. 28. 30. c. XVII, 8. Nam et si hæc locutiones non incommode referri possunt ad missionem intempore, nulla tamen ratione negari potest, iisdem ad æternam nativitatem respici, seu in ista hanc supponi.

Ceterum non prætereunda hic est magni momenti quæstio, quam nobis oraculi prophetici contextus proxime sequens exhibet. Hic enim dicitur, Deum populum suum *traditurum esse, donec paritura pepererit* *κ. τ. λ.* Quænam hic sit *paritura illa*, quæritur. Interpretum non pauci *Mariam* intelligunt *χριστόγονον*, alii ecclesiam Judaicam. De Maria sermonem non esse, inter alia ex eo liquet, quod tempus traditionis in exilium Chaldaicum non duravit usque ad natiuitatem Christi. Ecclesiam vero Judaicam intelligi, certissimum est. At cujus temporum periodi, hoc est investigatione dignum. Prima periodi ecclesiam Judaicam, in quantum Christianæ formam induerat, fecundissimam fuisse numerosissimæ prolis, ad mentem Christi formatæ, matrem, nemo nescit. Hic vero eam intelligi, non permittit ista dictæ traditionis duratio, usque ad partum parituræ extensa. Notat itaque propheta traditionem in exilium eam, quæ, per Romanos facta, adhuc hodie durat. Jam si demum hac finita, ecclesia Judaica paritura est, partus ejus adhuc futurus est, et ita quidem, vt ista *fratres suos*, e reliquis gentibus ad Christum convertendis, in sinum suum recipiat fovendos.

Et hoc ipsum est insigne illud *mysterium*, quod Paulus Rom. XII, 25. 26. collocat in *futura totius Israelis conversione ad Christum*, cum *introitu* reliquarum gentium in ecclesiam conjungenda. Et cum spiri-

Spiritus prophetiæ sibi per omnia confitet, hoc ipsum Dei opus egregie repræsentatum est sub insigni emblemate *femine apocalyptrice* c. XII. quæ in statu partus salutiferi ita exhibetur, ut ad rem aliam nullam aptius applicari queat, quam ad *gentis Judaicæ conversionem*, circa *tubæ septimæ* sonitum futuram: utpote qua *tuba*, quemadmodum Salvator optimus maximus interposito jure jurando Apoc. X, 7. asseverat, *mysterium illud periodi ultimarum temporum sabbaticæ*, per prophetas, et inter eos etiam per Micham hoc loco et capite IV antecedenti revelatum, proclamabit: *cujus proclamationis summa* c. XI, 15 his exhibetur verbis, seu hoc cœlestium vocum concentu: *Regna huius mundi facta sunt Domini & ejus Christi!* item c. XIX, 6 *Hallelujah! nam Dominus, Deus ille omnipotens, regnum occupavit!* Et cum apocalypsis loca aptissimam exhibeat clavem, ad abstrusiora scripturæ propheticæ loca recte interpretanda, ea usi oraculi Michæ de *femina* paritura futurum habemus evidentissimum, & videmus, ipsum more prophetis solito, a prima temporum novi fœderis periodo v. i. indicata, ad ultimam progredi. Hoc ipsum certe est, quod loca aliorum prophetarum parallela sub eodem elocutionis emblemate, quod Joannes apocalypcticus inde transfumit, egregie confirmant: nimirum ea, Jef. XXVI, 16 seqq. c. XXX, 3. seqq. c. LIV, 4 seqq. c. LXVI. 7. seqq. Jer. XXXI, 22. conferenda cum insigni loco Hofeæ III de ecclesia Judaica, per excidium & exilium Romanum, tanquam per libellum repudii, e connubii statu quidem depulsa, sed jure istius fœderis servato, ipsoque statu post longioris temporis decursum, uti ab idololatriæ adultério, ita etiam a vero connubii mystici usu, sejunctum, quam certissime & quam beatissime restituendo. Ad locum Jesaïæ c. LXVI, 7. seqq. quod attinet, ille quidam ab elocutione apocalyptrica recedit; sed ita, ut ipsa diversitate futurorum temporum mysterium egregie illustret. Nam Johannes, futuram Judæorum conversionem *χηματικῶς* delineaturus, gentem hanc exhibet sub figura *femine prægnantis*, & doloribus partus gravissime laborantis. Jesaïas vero, quando illam nobis sistit ea *pariendi facilitate ac felicitate*, ut foetum edat, sine ullis partus doloribus, eam considerat, non in sua ipsius conversione *passiva* ad Christum, intensiore contritionis sensu nequaquam caritura; sed in conversione aliarum gentium *activa*, ad quam Deus conversæ gentis Judaicæ ministerio secundum v. 19. utetur: & ita quidem, ut negotium hoc non minori læticia, quam facilitate sit successurum. Atque ita periodus temporum ultima respondebit primæ. Uti enim hæc, sic etiam ista, ecclesiam Judaicam, Christo in ordine genuinæ conversionis

nis nuptam, in gentibus aliis, ad connubii cum Christo mystici foedus adducendis, pro alma matre agnosceret. Id quod etiam istis Michæ verbis insinuat, quibus is perhibet *suos Israeli fratres* iri associatum.

Hæc hætenus, CIVES omnium ordinum CARISSIMI, de sensu illustri oraculi Michæ, hoc temporis articulo, quo anniversaria natiuitatis salutiferæ sacra pie collocanda recurringunt, meditanda. Cum in eo SALVATOR optimus describatur ab officio suo regio, voce משיח notato, quid nostri erga ipsum officii sit, vel nobis etiam non monentibus, facile intelligitis. Est is Dominus noster triplici iure, creationis, & conservationis, cum directione conjunctæ, nec non redemptionis. Quod jus, quo est augustius, eo majori subjectionis & obsequii officio nos obstringit. Quod ut ipsi præstare possimus, is oblati gratiæ viribus idagat omni nisu, sed tamen sine ulla coactione, ut nos, e dominantis naturæ statu in statum gratiæ translatos, sibi subiciat, & disciplinæ suæ saluberrimæ subjectos, spiritu suo sancto per omnem vitam gubernet. O igitur beatos, qui sceptrum ejus osculantur, & sibi ipsis ita vivunt, ut Christo vivant in solidum, ad nutum ejus intenti. Christo enim Domino suo servire, summa est libertas: cum e contrario libertatem in licentiam convertere, servitus sit, piaculari morte Christi redemptis indignissima.

Quæ cum ita sint, *florentissimi Juvenes*, ferias hæc ita collocate, uti conscientiæ, cui ipse Deus præsidet, ratio requirit. Cultui Dei publico jungite priuatam, & in eo sincerum instituite conscientiæ examen, quo vitæ ac studiorum ordine annus hic, qui ruit præceps, transactus sit. Si multi, quod optamus, partim etiam confidimus, sibi, cum submissa ad Deum gratiarum actione relata, de non exiguo pietatis & studiorum incremento gratulari possunt, multo certe plures, de quo doleant, habebunt. Tum vero sincere dolebunt, si cum hoc anni fine, Dei gratia instructi, initium fecerint vitæ ad religionis revelatæ præscriptum recte formatæ. A qua tam fausta anni clausula, confirmato recte, h. e. sancte, vivendi proposito, novi anni primordia cum felicissimo decursu dependebunt. Hæc Saxonum in ipsis feriis natiuitatis die xxv. Dec. anni salutis per Christum partæ MDCCLXXXVII.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





1105

PROGRA
ACADEM
PR
D. MICHAEL
SACR. MAJ. REC
MAGDEB. CON
PROFES

CANCELL
ET PROF
CIVI

PIAM NAT
M

HA
IMPENSIS IO. C

M,
E
RTI,
ONSIST.
NAT.
ORE,
QUIS,
RISTI

dt.

POGR.



Farbkarte #13

B.I.G.

